



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

*QUAE SIVE*

NUNTIATURA APOSTOLICA IN CIVITATE BAHAMENSI CONDITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Quae sive Catholicae fidei incremento sive publicis necessitudinis rationibus inter Apostolicam hanc Sedem et Civitates haud parvam utilitatem esse allatura videntur, ea studemus quam diligentissime prosequi. Qua re, cum Civitas Bahamensis et eadem Apostolica Sedes desideravissent quo arctioribus amicitiae vinculis coniungerentur, peropportunam Nobis visum est in ea Nuntiaturam Apostolicam constituere. Nos igitur, certa scientia ac matura deliberatione, harum Litterarum vi Nuntiaturam Apostolicam in Civitate Bahamensi condimus eidemque omnia et singula deferimus iura, privilegia, honores et praerogativas, quae huiusmodi Legationum sunt propria. Quae vero per praesentes Litteras statuimus firma sint plane sive nunc sive in posterum, ac vim suam habeant, contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iulii, anno MCMLXXIX, Pontificatus Nostri primo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a Publicis Ecclesiae Negotiis*

---